Hartenstein, Gustav
De psychologiae vulgaris origine ab Aristotele repetenda

DE
PSYCHOLOGIAE VULGARIS ORIGINE AB ARISTOTELE REPETENDA

COMMENTATIO

QUA

CANDIDATOS MAGISTERII

AD

SOLEMNIA EXAMINA

INVITAT

GUSTAVUS HARTENSTEIN

PHILOS. THEORET. P. P. O.

ORD. PHILOS. H. T. PROCANCELLARIUS.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACADEM.

Philosophiae parti theoreticae quum illud sit officium et quasi munus, ut rerum naturalium fontes et principia perscrutetur, inter veteres philosophos nemo hoc nomine dignior esse videtur, quam ARISTOTELES, cuius scripta licet temporis iniuria corrupta et mutilata, quam mirificam observandi assiduitatem et quaerendi sollertiam prodant inter omnes constat. Aristoteles enim omnium fere primus ad rerum naturalium varietatem et multitudinem ita se convertit, ut eas, si fieri posset, singulas observare, describere, in classes redigere, ad notiones denique, per quas intelligi possint et debeant, revocare studeret. Quod cum ageret, non constitit in naturae extra nos positae perscrutatione, sed etiam ea, quae *in* nobis experimur, i. e., ut uno nomine significemus, phaenomena psychica diligentius exploravit, quam qui ante eum in philosophia excolenda occupati fuerunt; et quemadmodum in reliquis, quae ad naturae cognitionem pertinent, tam amplam materiam congessit, ut in ea dispensanda et in usum convertenda remotam posteritatem occupatam fuisse videamus, ita etiam psychologiae ea iecit fundamenta, ut quae per saeculorum seriem de his quoque rebus docerentur, doctrinae Aristotelicae vel imitationem vel certe similitudinem aliquam referrent. Huius similitudinis vestigia, si Aristotelis psychologiam, qualem in libris „de anima" exposuit, cum ea psychologiae forma comparamus, quae etiam nunc apud multos valet, in eo prae caeteris quaerenda sunt, quod phaenomenorum psychicorum origo ab animae variis *facultatibus* recte dignoscendis repetenda esse plurimis et olim visa est et etiamnum videtur. Quod enim vel inesse animae plures facultates (sensum, phantasiam, mentem, appetitum etc.), vel certe animae naturam ita se exserere statuunt, ut, quae vel agat vel patiatur, ad talium facultatum notiones iure revocari possint ac debeant, id ad Aristotelis exemplum et auctoritatem videtur referendum esse, qui, cum priores philosophi ad designandam phaenomenorum psychicorum diversam naturam simpliciter *partium* (*μερῶν*, *μορίων*) animae notione plerumque usi essent, quamquam et ipse hoc vocabulum saepe

adhibuit, tamen pro eo substituit notionem *δυνάμεων τῆς ψυχῆς* (de anim. II, c. 3. init.)*), ut ab hoc initio doctrina de facultatibus animae latius serpsisse et ad seriores propagata esse iure dicatur. Huius autem hypotheseos psychologicae, — pro hypothesi enim habenda est, antequam ita statuendum esse, necessaria cogitandi progressione ostensum sit, — quod apud Aristotelem quasi typum inveniri dixi, ideo factum est, quod, quemadmodum recentiores de facultate cognoscendi, appetendi etc. universali disserunt, sic Aristoteles quoque facultatum sive virium psychicarum notione ita utitur, ut universas phaenomenorum *classes* et *genera* ad has vires revocet et his ipsis fiendi generibus singulas facultates praeponat. Haec sententia serius tam late propagata est, ut eam psychologiae formam, quae inde pendet, *vulgaris* nomine insignire neque iniustum neque incommodum sit. Nolumus provocare ad Christ. Wolffii aetatem, qui, licet Leibnitius aliam eamque meliorem monstrasset psychologiae viam **), omnium quaestionum psychologicarum ultimum finem eo redegit, ut, „quotnam sint animae facultates et quales sint, in psychologia empirica, quid vero proprie sint et quomodo animae insint, in psychologia rationali declaretur" (Wolffii psychol. empir. §. 29.); satis est Kantii philosophiam commemorasse, qui, quum in reliquis quidem, quae ad cosmologiam et theologiam pertinent, placitorum metaphysicorum inanem tumorem comprimeret, hanc tamen de facultatibus animi humani doctrinam ita ab iis, contra quos pugnavit, mutuam desumsit, ut, intermisso artis criticae munere, ei tanquam fundamento universam philosophiam superstrui posse censeret. Nimirum ita Kantii aetate in communem usum abierat ista hypothesis, ut de eius veritate dubitare neque utile neque necessarium esse videretur.

Quae cum ita sint, operae pretium esse videtur, ad primum huius doctrinae fontem descendere et quaerere, qua ratione Aristoteles ad hanc psychologiae formam deductus sit. Nam si ostendi posset, eam apud Aristotelem iusto et firmo fundamento niti, ea, quae vetustatis commendationem prae se ferunt, interna veritatis auctoritate fulcirentur; sin minus, egregium certe exemplum nancisceremur, quam facile notiones, quae problematum philosophicorum severam investigationem declinant magis, quam iis rite satisfaciunt, auctoritate tanta potiantur, ut qui eam non agnoscat, ipse magnopere vituperandus esse

---

*) *τῶν δὲ δυνάμεων τῆς ψυχῆς αἱ λεχθεῖσαι τοῖς μὲν ἐνυπάρχουσι πᾶσαι, ... τοῖς δέ τινες αὐτῶν, ἐνίοις δὲ μία μόνη. δυνάμεις δὲ εἴπομεν θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν κατὰ τόπον, διανοητικόν.*

**) Cf. Herbart *Psychologie als Wissenschaft.* T. I. p. 52 sqq.

videatur. Quod ut fiat, utile quidem esset, singula quaeque, quae Aristoteles de phaenomenis psychicis docuit, examinare, necessaria tamen huius dissertationis brevitas iubet, in earum notionum origine et dignitate indaganda subsistere, per quas tanquam principia phaenomenorum psychicorum multitudinem cogitandam et intelligendam esse censuit.

In universa, quae ad animam pertinet, quaestione tractanda, Aristotelem inter et recentiores, ex quibus Kantium exempli gratia nominavimus, hoc interest, quod, cum hi quidem universae philosophiae fundamenta et principia ex psychologia desumant, ille contra psychologiam pertractat tanquam partem amplioris et altioris scientiae; quare, cum recentiores plerumque, quid sit anima, sciri non posse dicant, licet eius facultates singulas recensere non dubitent, Aristotelem omnem rei cardinem in eo ponere videmus, ut, quid sit anima, certa et accurata definitione constituatur. Propterea, postquam in primo de anima libro varias antiquiorum philosophorum sententias recensuit, in ipso libri secundi initio quaerit: *τί ἐστι ψυχὴ καὶ τίς ἂν εἴη κοινότατος λόγος αὐτῆς.* Respondet (de anim. II., c. 1., §. 6.: *ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει*, — corpus autem, quod vivere possit, cum sit organicum, eandem definitionem (l. l. §. 7.) repetit ita: *εἴ τι κοινὸν ἐπὶ πάσης ψυχῆς δεῖ λέγειν, εἴη ἂν ἡ πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ.* Iam si quaeritur, quemnam huius definitionis usum faciat Aristoteles ad phaenomena psychica ex ea repetenda vel saltem cum ea concilianda, statim apparet, ita referri animam ad corpus, ut quaerendum sit, quo sensu anima corporis organici *ἐντελέχεια* dicatur. *Ἐντελεχείας* autem notionem multo latiorem usum esse apud Aristotelem, quam qui intra psychologiae fines contineatur, omnibus notum est; et cum l. l. hac notione, cui ex adverso quasi *ὕλης* notio posita est, ita utatur, ut eius vim lectoribus notam esse supponat, ab hoc ipso psychologiae limine relegamur ad ampliorem disquisitionem, quam primam philosophiam an metaphysicam nominemus, parum interest, dummodo ex ea psychologiae fundamenta repetenda esse concedatur. Hoc ita esse, nemo vituperabit, qui eorum, quae *in nobis* experimur et animae tribuimus, cum iis, quae *extra nos* vel esse vel fieri observamus, talem esse similitudinem meminerit, ut easdem notiones universales et ad haec et ad illa vel designanda vel explicanda necessario adhibeamus. Quas inter notiones quum substantia et mutatio primarium locum obtineant — omnia enim phaenomena, quae vel in conscientia interna vel in rerum naturâ animadvertimus, in eo congruunt, primum quod iis aliquid subesse cogitamus, quod per varias qualitates in una re tanquam eius attributa consociatas notum fiat, deinde quod *id*, *quod* unaquaeque res *sit*, non

maneat idem, sed aliud fiat, — in illa plurium qualitatum in una re complexione veteres philosophos minus offendisse videmus, quam in rerum mutationibus. Hoc enim mutationis problema primos Graecorum philosophos ad rerum elementa quaerenda incitavisse, universa placitorum, quae proposuerunt, ratio ostendit; et postquam quaestiones hic latentes ad *notionum* mera cogitatione perceptarum disquisitionem revocari coeperunt, uti Parmenidis et Heracliti oppositas sententias inde exoriri videmus, ita Platonis studia pro maxima parte in eo posita erant, ut quomodo rerum mutatio cogitari et cum eius, quod *revera est*, stabilitate conciliari possit, enuclearet. Interna enim repugnantia laborare notionem eius, quod, cum *esse* dicatur, tamen non maneat tale, quale est, sed se ipsum quasi aufugiat, Plato si non de industria exponit, at luculenter tamen indicat*). Ut igitur eriperet id, quod *est*, *τὸ ὄντως ὄν*, ex hac inconstantia, ad ideas confugit; quibus, quocunque modo interpreteris, hoc certe inest, ut tanquam id, quod revera est, per se spectatae ab omni mutatione seclusae sint. Ita ideas inter et res adspectabiles intervallum interpositum erat, quo cavere voluit Plato, ne illa ipsa realitas, quam res sensibiles neque prorsus detrectare, neque ferre posse videbantur, in mutationis quasi gurgitem incideret. Neque tamen acquiescere potuit Plato in hac seclusa positione idearum, ad quas recte concipiendas pura cogitatione, a sensuum commercio remota, opus esse iterum iterumque monet; ita enim τὸ Esse et Non-esse coniuncta et consociata sunt in rerum natura, ut res sensibiles, nisi idearum *participes* essent, ne speciem quidem eius, quod sunt, prae se ferre posse videantur. Iam vero si *μέθεξις* illa Platoni conceditur, ipse autem eam sibi concessit, ponendum etiam est aliquid praeter ideas, quod earum particeps fieri possit; atqui nihil, quod revera sit, praeter ideas poni potest; itaque Platonem dubitantem magis, quam audacem confugere videmus ad substratum aliquod non peculiari aliqua qualitate definiendum, medium quasi inter id, quod est, et id, quod non est, ita tamen comparatum, ut

---

*) Praeter locum Timaei (p. 49. b — 50. a.) huc pertinent praecipue, quae Rep. V, p. 524. d. e. inveniuntur: *τὰ μὲν παρακλητικὰ τῆς διανοίας ἐστί, τὰ δ' οὔ, ἃ μὲν εἰς τὴν αἴσθησιν ἅμα τοῖς ἐναντίοις ἑαυτοῖς ἐμπίπτει, παρακλητικὰ ὁριζόμενος, ὅσα δὲ μή, οὐκ ἐγερτικὰ τῆς νοήσεως . . . εἰ ἀεί τι αὐτῷ ἅμα ὁρᾶται ἐναντίωμα, ὥστε μηδὲν μᾶλλον ἓν ἢ καὶ τοὐναντίον φαίνεσθαι, τοῦ ἐπικρινοῦντος δὴ δέοι ἂν ἤδη καὶ ἀναγκάζοιτ' ἂν ἐν αὐτῷ ψυχὴ ἀπορεῖν καὶ ζητεῖν κ. τ. λ.* ideo, quoniam in hac ipsa repugnantia *incitamentum* cogitandi et quaerendi inesse dicunt.

omnium qualitatum particeps fieri possit *). Ita resuscitavit Plato Anaximandri illud *ἄπειρον*, Parmenidis severitate iam dudum explosum, hoc tamen cum discrimine satis gravi, ut, cum Anaximander ex eo tanquam *unico* rerum principio varias easque sibi oppositas qualitates evolvi statuisse videatur**), Plato omnem qualitatem definitam ab eo removendam esse doceret. Hoc modo nata est notio *materiae*, *τῆς ὕλης*, (quod nomen Plato Tim. 69. a. per similitudinem indicat,) tanquam eius, quod nulla alia nota insigniri potest, nisi hac, inesse ei potentiam (*δύναμιν* Tim. 49. a.), varias determinationes in se recipiendi (*τοίανδε μάλιϛα, πάσης εἶναι γενέσεως ὑποδοχὴν αὐτὸ, οἷον τιθήνην* ibid.).

Platonem ad hanc materiae omni qualitate carentis hypothesin non sine magna dubitatione accedere, universa loci, qui in Timaeo huc pertinet, ratio ostendit; queritur enim de huius notionis difficultate (p. 49. a.), confitetur, eam somniando magis, quam cogitando posse attingi (p. 52. b.) et excusaturus quasi ea, quibus neque carere neque optimo iure uti posse sibi videbatur, omnia, quae de materia docet, ad *δόξαν* ablegat. Haec eos, qui Platonem sequebantur, monere poterant, ut quaererent, utrum omnino tolerari possit haec substrati, quod mera esset diversissima quaeque recipiendi potentia, notio, an forte ita inanis sit, ut ad explicandas rerum mutationes nihil nisi vocabulum praebeat. Nihilosecius Aristoteles quum aliis fere omnibus Platonis placitis gravissime adversetur, de huius quidem notionis veritate non modo non quaerit, sed, quae Plato dubitans proposuerat, maiori cum fiducia in usum convertit. In universa enim rerum naturalium per causas et principia indagatione ita distinguit inter materiam (*ὕλην*) et formam (*εἶδος, μορφήν*), illi *τὸ δυνάμει ὄν*, huic *τὸ ἐνεργείᾳ ὄν* respondere docens, ut in hoc ipso discrimine dogmatum metaphysicorum fontem longe uberrimum nactus esse sibi videretur***). Iam cum, quod esse *potest*, eatenus, quatenus omnis eius natura in hac ipsa potentia ponitur, *non sit*, et tamen hoc, quod *non est*, tanquam *res existens*, oppona-

*) Cf. Tim. p. 50. sqq. Rep. V, p. 476—479, qui duo loci, cum ille rerum sensibus obiectarum naturam, hic cognitionem spectet, se invicem illustrant; tanquam vinculo enim continentur iis, quorum summam Plato Tim. p. 29. c. his verbis indicat: *ὅ τί περ πρὸς γένεσιν οὐσία, τοῦτο πρὸς πίϛιν ἀλήθεια.*

**) Arist. Phys. I, 4. Cf. Brandis, *Handb. d. Gesch. der Philos.* T. I. p. 132.

***) Brevitatis causa ablegamus lectorem praeter Aristot. Metaph. VI. (VII.) c. 3 sqq. ad Ritteri *Gesch. der Phil. Bd.* 3. p. 127 sqq. (ed. pr.), Fr. Biesii, *Philos. des Aristoteles* T. I., 2. *Abschn.* et Trendelenburgii excursum de his notionibus in eius commentario ad Aristot. de anim. p. 295—322.

tur iis, quae (actu) sunt, suscipio oritur satis gravis, Aristoteli in hoc notionum fundamentalium genere accidisse, ut ab molesta illa quidem, sed necessaria cogitandi severitate, qua Parmenidis et Platonis ingenia inter summas notionum difficultates perspectas magis, quam expeditas, defatigata erant, in ipsis quaerendi principiis recederet et sensus communis commoditate devictus difficultatum solvendarum blandum, sed non sanum remedium inveniret. Neque enim via, per quam ad has notiones deduci potuit, tam ardua est, ut non captui populari admodum accommodata sit. Quemadmodum enim Plato ideo, quod qualitates sensibiles per mutationes continuas aufugiunt, abstrahens mentem ab omnibus qualitatibus et attributis, tanquam residuum et caput quasi mortuum invenerat indefiniti prorsus substrati notionem, ita eodem modo conclusisse Aristotelem, apparet ex verbis Met. XI. (XII.) c. 2. in. *ἡ αἰσθητὴ οὐσία μεταβλητή· εἰ δὲ ἡ μεταβολὴ ἐκ τῶν ἀντικειμένων ἢ τῶν μεταξύ, ἀντικειμένων δὲ μὴ πάντων (οὐ λευκὸν γὰρ ἡ φωνὴ), ἀλλ' ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἀνάγκη εἶναι καί τι τὸ μεταβάλλον εἰς τὴν ἐναντίωσιν. Οὐ γὰρ τὰ ἐναντία μεταβάλλει. Ἔτι τὸ μὲν ὑπομένει, τὸ δ' ἐναντίον οὐχ ὑπομένει. Ἔςιν ἄρα τι τρίτον παρὰ τὰ ἐναντία, ἡ ὕλη*, quorum ampliorem commentarium inter alia exhibent, quae Phys. I, c. 7. Met. VI. (VII.) c. 7. leguntur. Scilicet notio rei quam per sensus experiri videmur, dilabitur in *τὸ ὅτι* et *τὸ τί*. *Τὸ ὅτι* (esse) manet, *τὸ τί* (qualitas) mutatur. Illam si cogitando retinemus, oritur notio existentis cuiusdam sine qualitate, quod tamen qualitatem accipere *potest*, *ὑποκειμένου*, indeterminati per se, sed quod determinationis capax sit; *τὸ τί*, vel ut accuratiorem Aristotelis usum sequamur, *τὸ τί ἦν εἶναι* est certa atque notione qualitatis individuae definita forma, quae tanquam „complementum possibilitatis" coniuncta cum illo *ὑποκειμένῳ* efficiat rem individuam talem, qualis est *). Cum vero Platonem in materiae notione fingenda dubitare videamus, et ea quidem de causa, quoniam a vera eius, *quod* est i. e. qualitatis absolute positae notione invitus desciscit, Aristoteles in ea usurpanda multo sibi magis placet, quoniam, qua ratione illud, quod *esse* dici possit, cogitandum sit, parum anxie quaerit et in notione *τῆς οὐσίας* adhibenda minus de-

*) In hac qualitatis *individuae* notione cogitando percipiendae praecipuum latere philosophiae Platonicae et Aristotelicae discrimen, multi iam monuerunt. Etiam de his prae reliquis comparanda est egregia Trendelenburgii disquisitio in Mus. Rhen. T. II, p. 457 sqq. *Τοῦ τί ἦν εἶναι* autem et *εἴδους* notionem ibi, ubi forma se ita evolvit, ut evolvendi finem et scopum in se ipsa contineat, sponte quasi abire in *ἐντελεχείας* notionem breviter monuisse sufficiat. Cf. Trendelenburgi dissertationis l. l. et Ritteri *Gesch. d. Philos.* T. III, p. 160—165.

finiendi severitatem, quam usum loquendi vulgarem sequitur. Qaemadmodum enim in libro de categoriis et rebus et eorum attributis *οὐσίας* nomen, licet non eodem sensu, adsignat, ita etiam in libris metaphysicis ad huius notionis significationem constituendam inductione magis, quam severa cogitatione utitur. Ita Met. III, (IV.) c. 2. *τὸ ὄν*, dicit, *λέγεται πολλαχῶς μὲν, ἀλλὰ πᾶν πρὸς μίαν ἀρχήν. Τὰ μὲν γὰρ, ὅτι οὐσία ὄντα λέγεται, τὰ δ' ὅτι πάθη οὐσίας, τὰ δ' ὅτι ὁδὸς εἰς οὐσίαν ἢ φθοραὶ ἢ ϛερήσεις ἢ ποιότητες ἢ ποιητικὰ ἢ γεννητικὰ οὐσίας, ἢ τῶν πρὸς τὴν οὐσίαν λεγομένων, ἢ τούτων τινὸς ἀποφάσεις ἢ οὐσίας· διὸ καὶ τὸ μὴ ὂν εἶναι μὴ ὄν φαμέν.* Iam si, quae sequuntur de *ὄντος* et *ἑνός* mutua inter se relatione, comparamus cum Met. VI, (VII.) c. 1. init. IV, (V.) c. 7. init., apparet quidem, *τὸ ὂν* vel *οὐσίαν* proprio sensu Aristoteli significare res ipsas individuas (*ὅ τις ἄνθρωπος*) tanquam eas, quae ex communi certe iudicio per se ipsae sunt; attamen, cum hanc inter res individuas et *τὴν οὐσίαν* relationem non tam ab ipsa notione, quam ex usu communi repetiverit, postea, ubi de eo, quid subsit his rebus sensibilibus et mutationi obnoxiis, quaerere incipit, ab hac significatione desciscere non dubitat, et ita quidem, ut in eo, quod *revera esse* dicendum sit, a phaenomenorum mutabili natura segregando minus sibi constet, quam decebat eum, qui intellexisset, quaerendam esse scientiam, *ἣ θεωρεῖ τὸ ὂν ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό* *). Quare Aristotelem videmus, ubi ipsam de elementis et principiis aggreditur quaestionem, haec proferre Met. VI. (VII.) c. 3.: *λέγεται δὴ οὐσία, εἰ μὴ πλεοναχῶς, ἀλλ' ἐν τέτταρσί γε μάλιϛα. Καὶ γὰρ τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸ καθόλου, καὶ τὸ γένος ἡ οὐσία δοκεῖ εἶναι ἑκάϛου, καὶ τέταρτον τούτων τὸ ὑποκείμενον.* Ac primum quidem eo inclinat, ut *τὴν ὕλην esse* dicat: mox autem, ut in hac *τῆς ὕλης* et *τοῦ τί ἦν εἶναι* oppositione subsistamus, addit (l. l.): *ἐκ μὲν οὖν τούτων θεωροῦσι συμβαίνει οὐσίαν εἶναι τὴν ὕλην· ἀδύνατον δέ. Καὶ γὰρ τὸ χωριϛὸν καὶ τὸ τόδε τι ὑπάρχειν δοκεῖ μάλιϛα τῇ οὐσίᾳ. Διὸ τὸ εἶδος καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν οὐσία δόξειεν ἂν εἶναι μᾶλλον τῆς ὕλης.* Quae inconstantia, multis etiam aliis in locis conspicua**), non videtur miranda esse. Nam qui eo se deduci passus est, ut rei,

---

*) Cf. Met. III. (IV.) c. 1.; V. (VI.) c. 1. Trendelenburg ad libros de anim. p. 324. haec habet: „Sunt plures loci, quibus *invita* illa principi definitione, tum materia tum forma *οὐσίαι* dicuntur. In illa categoriarum definitione id spectabatur, ut aliquid per se solum esse posset.... Sed laxatur *quodammodo* haec legis severitas eaque etiam *οὐσίας* in partem vocantur, quae tanquam ultima elementa, quibus res continentur, necessaria sunt." Vereor, ne illud: quodammodo, Aristoteli nimis parcat.

**) Cf. Met. IV. (V.) c. 8. XI. (XII.) c. 3. VII. (VIII.) c. 1. Aristoteli tamen ipsi scrupulum resedisse, num id, quod potentia tantum sit, revera esse iure dicatur,

quae omni sua qualitate careat, inanem cogitationem transvertat in substratum per se *existens*, ei haud scio an necessitate quadam accidat, ut, (cum illud, quod est tale, *quale* est, existentiam optime sustineat,) hoc quoque, quod omni qualitate careat, saltem *δυνάμει εἶναι* dicat; ita enim illius *ὑποκειμένου* indefiniti positio absolvi posse videbitur, ut cogitationi, id *aliquid* fieri *posse*, obiectiva significatio, eius, quod *δυνάμει* est, existentiam involvens, tribuatur.

Sed ut concedatur haec inter duas eorum, quae sunt, classes (*διττὸν ὂν* Phys. I. c. 8.) distinctio, quam ne concedamus ipsa notio *τοῦ* Esse vetat, novae oriuntur difficultates, simulatque ea distinctione ad mutationes rerum explicandas, qua una de causa inventa est, uti voluerimus. Ex quibus nunc unam tantum commemoremus. Requiritur coniunctio (*σύνοδος*) materiae et formae, transitus ab eo, quod est *δυνάμει*, ad id, quod est *ἐνεργείᾳ*. Hunc transitum Aristotelem per notionem *κινήσεως* latissime patentem significare, satis notum est. Sed in hac *κινήσεως* notione definienda et explicanda eum haesitare videmus, utrum *κίνησις* pertineat ad *τὸ δυνάμει ὄν*, an ad *τὸ ἐνεργείᾳ ὄν*. Qua ex difficultate ita se extricat, ut haec duo, quae ad naturam explicandam sibi opponenda esse docuerat, ad *κίνησιν* definiendam inter se misceat. Quae enim Phys. III. c. 2. 3. et Met. X. (XI.) c. 9. de motu in universum disputat, eo redeunt, ut *κίνησις* esse dicatur *ἡ τοῦ δυνάμει ᾗ τοιοῦτον ἐνέργεια*, *ἐνέργεια ἀτελής*, *ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ὅταν ἐντελεχείᾳ ὂν ἐνεργῇ*, *οὐχ ᾗ αὐτὸ*, *ἀλλ' ᾗ κινητόν*. Quae definitio si non in circulo versatur, et eius, quod actu est, notionem conturbat merae possibilitatis mixtura, et vice versa id, quod *δυνάμει* est, ad *ἐνέργειαν*, qua per se caret, evehit.

Iam si haec omnia referimus ad animae definitionem supra commemoratam, apparet, Aristotelem eam statuere corporis et animae relationem, ut haec tanquam id, quod actu est, referatur ad corpus *δυνάμει ζωὴν ἔχον*. Itaque ex hac sententia corpus vivum organicum non per se tale esset, quale est, sed tale esse dicitur propter illam *ἐντελέχειαν*, quae est anima, ita ut anima sit qualitas individualis (*τὸ τί ἦν εἶναι*) certi cuiusdem corporis, ita notione percepta, ut simul contineat eorum finium, ad quos corpus adaptatum est, indicem et causam (*ἐντελέχεια*) *), per quam igitur fiat, ut corpus varias vitae functiones per varia

---

indicant plures loci, e. g. Phys. I. c. 9., ubi *τὴν ὕλην οὐκ ὂν κατὰ συμβεβηκός*, *ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως* esse legimus, de part. anim. I. c. 1., ubi *ἡ κατὰ τὴν μορφὴν φύσις κυριωτέρα τῆς ὑλικῆς φύσεως* esse dicitur. Cf. Met. VI. (VII.) c. 6.

*) Cf. Met. VII. (VIII.) c. 3. VI. (VII.) c. 10. *ἡ τῶν ζώων ψυχὴ (τοῦτο γὰρ οὐσία τοῦ ἐμψύχου) ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιούτῳ σώματι.* Ibid.

gignendi, crescendi, sentiendi etc. stadia exserat. Praeterea, licet Aristoteles corpus universali *τῆς ὕλης* notioni subsumat, mox tamen addit, non unicuique materiae vel corpori inesse posse vel animam in universum vel certam animam, sed tali, quod aptum sit ei qualitati recipiendae, quam notio animae requirat*). Haec vero restrictio ostendit, quam parum nactus sit Aristoteles ad naturam animae intelligendam ista inter id, quod *δυνάμει* est, et id quod *ἐνεργείᾳ* est, distinctione. Illud quidem per se subtrahit se eius, *quod* sit, certae et stabili definitioni; itaque quid et quale sit corpus vivum, ex animae definitione desumi posse speramus; ut vero intelligamus, quid sit anima, ablegamur ad corpus; qualis enim sit haec vel illa anima, id non per se, sed ita demum dici potest, ut ea possibilitatis, ut ita dicam, qualitas, quae corpori competit, per se ignota, per animae *ἐνέργειαν*, per se non minus ignotam, certa aliqua significatione impleatur**). Quod autem de cognitione valet, valet etiam de ipsa utriusque essentia. Illa enim *ἐντελέχεια*, quae vitae organicae fons actu existens esse dicitur, ne existit quidem actu, *nisi* accedat corpus, *δυνάμιν ἔχον τοιουδὶ εἶναι.* Neque Aristoteles hoc detrectaturus esset; ipse enim animam *πρώτην τοῦ σώματος ἐντελέχειαν* esse dicit; quod praedicatum non ita intelligendum esse, quasi anima sit absoluta, in eo, *quod* est, sibi plane sufficiens *ἐντελέχεια*, sed ita, ut meram potentiam in se involvat, quae progressione quadam ad perfectum actum perveniat, et alii Aristotelis loci***) et universa ratio

---

IV (V.) c. 8. *ἄλλον δε τρόπον (οὐσία λέγεται), ὃ ἂν ᾖ αἴτιον τοῦ εἶναι ἐνυπάρχον ἐν τοῖς τοιούτοις, ὅσα μὴ λέγεται καθ᾽ ὑποκειμένου, οἷον ἡ ψυχὴ τῷ ζώῳ.* De anim. II. c. 2. §. 15. *σῶμα μὲν γὰρ οὐκ ἔςι (ἡ ψυχή), σώματος δέ τι.* Ibid. c. 4. §. 4. *ἔςι δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχή.* De organorum notione ad finem adstricta cf. TRENDELENBURG ad Aristot. de anim. pag. 331.

*) De anim., II. c. 1. §. 8., c. 2. §. 15. *διὰ τοῦτο ἐν σώματι ὑπάρχει καὶ ἐν σώματι τοιούτῳ, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ πρότερον εἰς σῶμα ἐνήρμοζον αὐτὴν, οὐθὲν προσδιορίσαντες ἐν τίνι καὶ ποίῳ . . . . οὕτω δὲ γίνεται καὶ κατὰ λόγον· ἑκάςου γαρ ἡ ἐντελέχεια ἐν τῷ δυνάμει ὑπάρχοντι καὶ τῇ οἰκείᾳ ὕλῃ πέφυκε γίνεσθαι.* cf. de anim. I. c. 4. §. 18.

**) Aristotelem a notione materiae indefinitae (Met. III. (IV.) c. 4. *τὸ δυνάμει ὂν καὶ μὴ ἐντελεχείᾳ ἀόριςόν ἐςιν* VI. (VII.) c. 10. *ἡ ὕλη ἄγνωςος καθ᾽ αὑτὴν*) desciscere coactum esse, ut singularum rerum definitam qualitatem saltem pro dimidia parte ex ea repeteret, ostendunt inter alia Phys. II. c. 2. *τῶν πρός τι ἡ ὕλη· ἄλλῳ γὰρ εἴδει ἄλλη ὕλη* Phys. I. c. 9. *λέγω ὕλην τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάςῳ, ἐξ οὗ γίγνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός.*

***) Hanc explicationem veram esse, iam ex exemplis de anim. II. c. 1 adiectis apparet. Cf. TRENDELENBURG ad h. l. p. 314 sqq.

ostendit, qua in libris de anima origo et progressio phaenomenorum psychicorum exponitur. Haec vero si ita sunt, illa ipsa ἐντελέχεια, a qua tanquam ἀρχῇ καὶ αἰτίᾳ merae possibilitatis transitus ad actum repetendus esse videbatur, relabitur ad inferiorem δυνάμεως gradum et statum; neque iam, si eo usque progressus fueris, mirandum est, oriri sermonem de *facultatibus* animae, ut per has significetur nōn tam, quid anima *sit*, quam quid coniuncta cum corpore vel fieri vel facere *possit* *).

Quod vero Aristoteles ab eo, quod universam eius philosophiam regit, discrimine inter τὸ δυνάμει ὂν et τὸ ἐνεργείᾳ ὄν, ubi ad quaestiones speciales progreditur, recedit et utriusque fines inter se miscet, id e duabus potissimum causis, quas rerum observatio subministrat, repeti posse videtur. Licet enim primo quidem adspectu discrimen inter τὴν ὕλην, tanquam substratum universale, et εἶδος, tanquam id, per quod illud ὑποκείμενον fiat τόδε τι, sufficere posse videatur, tamen rerum observatione mox docemur, primum, non ex omnibus omnia fieri, deinde, res mutabiles rarissime duos tantum status, sed plerumque longiorem mutationum seriem ante oculos ponere. Illud qui secum reputat, ὕλης notioni inferre coactus erit talem ad εἶδος relationem, ut non sit substratum plane universaliter ita dicendum, sed ad certam fiendi formam restrictum (ἄλλῳ εἴδει ἄλλη ὕλη), eodemque modo τὸ τί ἦν εἶναι ad eam materiam restringere, quae huius formae capax sit; quo efficitur, ut tendat quasi potentia ad actum, actus requirat potentiam. Alterum qui animadverterit, id, quod inter duos mutationis progressus intermedium est, ex altera parte ἐνέργειαν, ex altera δύναμιν appellare coactus erit, ita ut, quod ἐνεργείᾳ ὄν est, idem simul sit δυνάμει ὄν. Quam inconstantiam si quis excusaturus monuerit, in eo ipso Aristotelis acumen cerni, quod haec intima τοῦ δυνάμει et τοῦ ἐνεργείᾳ ὄντος coniunctio et mutua vicissitudo optimam referat naturae imaginem, ita

---

*) Huius rei qui exempla desiderat, eum ablegamus ad de anim. II. c. 5. §. 2 sqq. III. c. 2. et universam de intellectu (III. c. 4—8.) disputationem, ex quibus omnibus apparet, Aristotelem, licet primum quidem animam ἐντελέχειαν, corpus ὕλην esse dixisset, in illa ἐντελεχείᾳ explicanda ita iterum uti δυνάμεως et ἐνεργείας oppositione, ut ipsa ἐντελέχεια in utrumque dilabatur. Ambiguitate, quae inest notioni δυνάμεως, ut non solum significet et id, quod esse potest *(das Mögliche)*, et id, quod agit *(Kraft)*, sed etiam vel vim agentem, vel vim, quae agere *potest*, quam plenissime fieri potest, utitur, neque mirum est, eum δύναμιν trahere nunc ad id, quod moveri, nunc ad id, quod movere potest; ex qua ambiguitate variae τῆς δυνάμεως significationes, quas Trendelenburg in libr. de anim. p. 298. observavit, ortae esse videntur.

enim indicari, ex communi fonte ei procreari hanc differentiam non absolutam, sed relativam ac propter id ipsum verissimam, ei iure responderi posse videtur, Aristotelem certe neque hunc communem fontem perspicua et clara definitione usquam indicare, et eum omnino oppositas *τῆς ὕλης* et *τοῦ εἴδους*, *τοῦ δυνάμει ὄντος* et *τοῦ ἐνεργείᾳ ὄντος* notiones ea ipsa de causa in philosophiam introduxisse, ut ex iis *tanquam oppositis* et *diversis* naturae phaenomena explicaret; quare si harum notionum fines inter se commiscet, id non tam acuminis, quam difficultatum tacite eum prementium signum esse videtur. Scilicet *τὸ δυνάμει ὄν* et *τὸ ἐνεργείᾳ ὄν*, quatenus *notione* percipitur, idem esse, nusquam dicit, sed in *rebus* observationi et experientiae subiectis coniunctum esse contendit, et ita quidem, ut haec coniunctio per mutationem, quas res naturales ostendunt, seriem se evolventem repraesentetur. Licet igitur, quid sibi voluerit, ita demum possit intelligi, ut *τὸ δυνάμει ὄν* et *τὸ ἐντελεχείᾳ ὄν*, quatenus ab utriusque coniunctione res singulae repetuntur, unius *intuitionis* obtutu ita complectamur, ut simul mutationum, quas istae res percurrunt, seriem in hanc intuitionem involvamus, haec ipsa tamen necessitas, res ex Aristotelis sententia hoc modo *intuendi*, vix aliud quid docet, nisi hoc, problema in hac mutationum serie latens Aristotelis sagacitatem tantum non prorsus effugisse. Minime contemnendum huius rei indicium vel in eo latet, quod, cum Plato quaesiverit *τὸ ὄντως ὄν*, *τὸ αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ μονοειδὲς ὄν*, Aristoteles id, quod *est*, significat per notionem *τοῦ ἐνεργείᾳ ὄντος*. Actio pertinet ad mutationem; itaque cum eius, quod *esse* dicit, notioni actionis notam tanquam primariam tribuat, hoc ipsum, quod esse dicit, in mutationem incidere passus est. Qua de causa minime mirandum, immo quam maxime consentaneum est, ad Aristotelis admirationem semper eos reversuros esse, qui ipsam mutationem id esse autument, quod revera *esse* dicendum sit*).

His, quae de principiis Aristotelis in universum valent et quibus ea, quae de anima statuit, facili opera subsumi possunt, non inutile erit addere quaedam, quae et de relatione animae ad corpus, et de eius vel partibus vel facultatibus moneri possunt. Ac primum quidem, ut concedamus definitionem animae, animam tamen ita videmus cum corpore coniunctam ac paene conglutinatam, ut, siquidem notionem animae stricte tenere voluerimus, phaenomenorum vitae

---

*) Provocari etiam potest ad definitionem *τῆς ἀλλοιώσεως*, qua Phys. III. c. 3. s. fin. summam eorum, quae de *κινήσει* disputaverat, comprehendit. Etenim dicere: *ἀλλοίωσίς ἐστι ἡ τοῦ ἀλλοιωτοῦ, ᾗ ἀλλοιωτὸν, ἐντελέχεια*, nihil aliud est, quam mutationem explicare per — mutationem.

animalis originem et progressionem ad amussim respondere oporteat phaenomenorum psychicorum seriei, talia autem, quae hanc vitae animalis progressionem transcendunt, quomodo in conscientia inveniri possint, ex proposita certe animae definitione intelligi nequeat. Atque illi quidem, quod iure exspectatur, satisfacere studet Aristoteles iis, quae de facultate animae vegetativa et sensitiva, partim etiam de appetente exponit; ubi vero ad ea progreditur phaenomena psychica, quae a corporis et sensuum commercio remota peculiarem animae vitam indicant, — huc autem iam pertinent omnes notiones abstractae et universales, — intra definitionis propositae limites se continere non potest*). Itaque in quaestione, utrum *ὁ νοῦς* (III. c. 4 sqq.) animae pars sit nec ne, ita eum haesitantem conspicimus, ut, quamquam eum ad animam non referre non possit**), tamen eum *χωριςόν*, a corpore separabilem et ab eius sorte ad interitum necessarium vergente immunem extrinsecus quasi accedentem faciat***). Attamen ne in hoc quidem sibi constat Aristoteles, cum illum ipsum *νοῦν ἀμιγῆ* et *ἀπαθῆ* (de anim. III. c. 4. §. 3. 4.), extrinsecus advocatum, qui *χωρισθείς ἐςι μόνον τοῦθ᾽ ὅπερ ἐςίν* (ibid. c. 5. §. 4.), ita ad corporis et rerum sensibilium commercium adstringat, ut sine hoc materiae commercio mera *facultas* et agendi *potentia* sit†); si vero istam separatam

---

*) de anim. II. c. 5. §. 6. *ταῦτα (τὰ καθόλου) ἐν αὐτῇ πώς ἐςι τῇ ψυχῇ.*

**) de anim. III. c. 4. §. 1. *τὸ μόριον, ᾧ γιγνώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ*, §. 5. *λέγω δε νοῦν, ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή*, §. 6. *εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τὸν τόπον τῶν εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὔτε ὅλη, ἀλλ᾽ ἡ νοητική, οὔτε ἐντελεχείᾳ, ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη.*

***) de anim. I. c. 1., §. 13. c. 4., §. 13. c. 5., §. 20. II. c. 1. s. fin. c. 2., §. 10. *περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως, οὐδέπω φανερόν· ἀλλ᾽ ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι. Καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* III. c. 4 sqq. De gen. anim. II. c. 3. *λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον. Οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.*

†) De anim. III. c. 4. §. 14 sqq., postquam varias *ἀπορίας* commemoravit, ita pergit: *διὸ διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πώς ἐςι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς· ἀλλ᾽ ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν μὴ νοῇ* (cf. §. 4. *ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς, οὐδέν ἐςιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν*). *Δεῖ δ᾽ οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον· ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ. Καὶ αὐτὸς δὲ νοητός ἐςιν, ὥσπερ τὰ νοητά· ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης, τὸ αὐτό ἐςι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον . . . Ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην, δυνάμει μόνον ἕκαςόν ἐςι τῶν νοητῶν. Ὥς᾽ ἐκείνοις μὲν οὐχ ὑπάρξει νοῦς· ἄνευ γὰρ ὕλης δύναμίς ἐςιν ὁ νοῦς τῶν τοιούτων.* Itaque, quod revera est *νοῦς*, *χωρισθεὶς μόνον ἐςίν*, et tamen id, quod est, saltem eatenus, quatenus cum corpore coniunctus est, *ἐνεργείᾳ* non est *ἄνευ ὕλης*. An huic inconstantiae remedium sit discrimen inter intellectum agentem et patientem (ibid. c. 5.) constitutum, iure dubitari potest.

τοῦ νοῦ notionem et naturam stricte tenemus, omnia, quae de hoc intellectu per se spectato docet, tam parum cohaerent cum animae definitione, ut impediant, quominus Aristotelem propterea laudemus, quod immanentes animae se per varios gradus et stationes evolventis actiones congrua et legitima ratione explicuerit. Vix enim aliud quid apud eum invenimus, nisi incertam quandam et universalem talis progressionis imaginem, ex empirica phaenomenorum psychicorum observatione, uberiore quidem, quam quae antiquiorum philosophorum fuit, nec tamen absoluta repetitam, eamque neque ex principiis ipsis desumtam, neque ad certas leges revocatam. Quod enim conscientiam sui ipsius *(die Ichheit)*, quae non idem est cum eo, quod Aristoteles dicit *τὸν νοῦν αὐτὸν δύνασθαι αὐτὸν νοεῖν* (de anim. III. c. 4. §. 8.), et quae vitae psychicae notam praebet prorsus peculiarem, plane neglexit, id unum ostendit, eum ne empiricae quidem descriptionis officio omni ex parte satisfecisse.

Alterum, quod addendum esse videtur, spectat plurium facultatum, quas deinceps considerat, ad animam ipsam relationem. Qua in re non id quaeramus, quo iure has potius, quam alias eas esse statuerit; recentiores certe, qui eius vestigia sequuntur, animam vegetativam missam fecerunt et pro ea virium vitalium notionem substituerunt, in distinguendis autem reliquis animae facultatibus diversissimo modo et ab Aristotele et a se invicem divergunt. Neque magis in eo haereamus, quod, ut supra indicatum est, Aristoteles, intempestiva abstrahendi festinatione admodum communi deceptus*), singulas facultates universis phaenomenorum *classibus* praeposuerit; quod vel ideo nullum plane usum afferre potest, quoniam talis facultas universalis phaenomenorum, ad unum genus pertinentium, ei diversitati, qualem experientia proponit, explicandae nullo modo sufficere potest, nisi et lex, secundum quam agat, et conditiones, sub quibus agat, accurate indicatae sint, quod neque ab Aristotele neque ab aliis huius notionis in psychologia cultoribus factum est. Id unum quaerimus, qua ratione Aristoteles plurium facultatum ad unam animam relationem definiat. Ipse hanc quaestionem saepius movet. Nam cum in ipso librorum de anima initio (I. c. 1. §. 7. 10.) dixisset: *σκεπτέον δὲ καὶ εἰ μεριστὴ (ἡ ψυχὴ) ἢ ἀμερής . . . . καὶ πότερον τὰ μόρια δεῖ ζητεῖν πρῶτον ἢ τὰ ἔργα αὐτῶν, οἷον τὸ νοεῖν ἢ τὸν νοῦν*, ad eandem quaestionem redit I. c. 5. §. 18 sqq.: *λέγουσι δέ τινες μεριστὴν αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) εἶναι, καὶ ἄλλῳ μὲν νοεῖν, ἄλλῳ δὲ*

---

*) Cf. Herbart, *Psychologie als Wissensch.* T. I. p. 19 sqq.

ἐπιθυμεῖν. Τί οὖν δή ποτε συνέχει τὴν ψυχὴν, εἰ μεριςὴ πέφυκεν; οὐ γὰρ δή γε τὸ σῶμα· δοκεῖ γὰρ τοὐναντίον μᾶλλον ἡ ψυχὴ τὸ σῶμα συνέχειν .... Εἰ οὖν ἕτερόν τι μίαν αὐτὴν ποιεῖ, ἐκεῖνο μάλιςα ἂν εἴη ἡ ψυχή. Δεήσει δέ παλιν κἀκεῖνο ζητεῖν, πότερον ἓν ἢ πολυμερές. Εἰ μὲν γὰρ ἕν, διὰ τί οὐκ εὐθὺς καὶ τὴν ψυχὴν ἓν εἶναι; εἰ δε μεριςόν, πάλιν ὁ λόγος ζητήσει, τί τὸ συνέχον ἐκεῖνο; καὶ οὕτω δὴ πρόεισιν ἐπὶ τὸ ἄπειρον. His addenda sunt de anim. II. c. 2. §. 8 sqq.: πότερον δὲ τούτων (θρεπτικοῦ κ. τ. λ.) ἕκαςόν ἐςι ψυχὴ ἢ μόριον ψυχῆς καὶ, εἰ μόριον, πότερον οὕτως ὥς' εἶναι χωριςὸν λόγῳ μόνον, ἢ καὶ τόπῳ, περὶ μέν τινων οὐ χαλεπὸν ἰδεῖν, ἔνια δὲ ἀπορίαν ἔχει. Plantarum enim et insectorum exemplum docere, dissectas eorum partes vitam retinere, ὡς οὔσης τῆς ἐν αὐτοῖς ψυχῆς ἐντελεχείᾳ μὲν μιᾶς ἐν ἑκάςῳ φυτῷ, δυνάμει δὲ πλειόνων, — περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως, οὐδέπω φανερόν· ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι. Καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι· — τὰ δὲ λοιπὰ μόρια τῆς ψυχῆς, φανερὸν, ὅτι οὐκ ἔςι χωριςά· τῷ δὲ λόγῳ ὅτι ἕτερα, φανερόν· αἰσθητικῷ γὰρ εἶναι καὶ δοξαςικῷ ἕτερον, εἴπερ καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι τοῦ δοξάζειν. Cum his comparanda sunt, quae l. III. c. 9., ubi ad τὸ κινητικὸν et ὀρεκτικὸν accedit, haesitans retractat: ἔχει δὲ ἀπορίαν εὐθὺς, πῶς τε δεῖ μόρια τῆς ψυχῆς λέγειν καὶ πόσα· τρόπον γάρ τινα ἄπειρα φαίνεται καὶ οὐ μόνον ἅ τινες λέγουσι διορίζοντες, λογιςικὸν ἢ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν . . . . κατὰ γὰρ τὰς διαφοράς, δι' ἃς ταῦτα χωρίζουσι, καὶ ἄλλα φαίνεται μόρια μείζω διάςασιν ἔχοντα τούτων, περὶ ὧν καὶ νῦν εἴρηται, τό,τε θρεπτικὸν, ... καὶ τὸ αἰσθητικὸν . . . . ἔτι δὲ τὸ φανταςικὸν, ὃ τῷ μὲν εἶναι πάντων ἕτερον, τίνι δὲ τούτων ταὐτὸν ἢ ἕτερον, ἔχει πολλὴν ἀπορίαν, εἴ τις θήσει κεχωρισμένα μόρια τῆς ψυχῆς. Πρὸς δὲ τούτοις τὸ ὀρεκτικὸν, ὃ καὶ λόγῳ καὶ δυνάμει ἕτερον ἂν δόξειεν εἶναι πάντων. Καὶ ἄτοπον δὴ τοῦτο διασπᾶν· ἔν τε τῷ λογιςικῷ ἡ βούλησις γίνεται καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμός. Quae omnia ostendunt, Aristotelem modo premi difficultate, individuam illam qualitatem*), per quam anima est τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῷδε σώματι, conciliandi cum phaenomenorum diversitate, quam observatio empirica obtrudit, modo horum phaenomenorum inter se connexioni et mutuae necessitudini id concedere coactum esse, ut, excepto intellectu, reliquas facultates non revera discerpi et segregari posse, sed notione tantum et potentia distinguendas esse dicat.

Quod vero his difficultatibus parum impeditur in sententia persequenda, id eo factum esse videtur, quod notionum subordinatarum et coordinatarum

---

*) ἄτομον εἶδος de anim. II. c. 3. §. 4. Met. VI. (VII.) c. 8. extr.

ad universalem notionem relationes *logicas* ad ipsarum rerum partitionem et compositionem transferre minime dubitavit. De hac re praecipue conferenda sunt, quae Met. VI. (VII.) c. 10. disputantur ad illustrandam propositionem hanc: *ἐπεὶ δὲ ὁρισμὸς λόγος ἐςὶ, πᾶς δὲ ὁ λόγος μέρη ἔχει· ὡς δὲ ὁ λόγος πρὸς τὸ πρᾶγμα, καὶ τὸ μέρος τοῦ λόγου πρὸς τὸ μέρος τοῦ πράγματος ὁμοίως ἔχει, ἀπορεῖται ἤδη, πότερον δεῖ τὸν τῶν μερῶν λόγον ἐνυπάρχειν ἐν τῷ τοῦ ὅλου λόγῳ ἢ οὔ.* In sequentibus ostendere studet, *τοῦ εἴδους καὶ οὗ ὁ λόγος μέρη* non esse easdem cum *τοῦ συνόλου* partibus, quatenus id ex materia et forma compositum est. Deinde addit: *ὥσθ' ὅσα μὲν μέρη ὡς ὕλη καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται ὡς εἰς ὕλην, ὕςερα· ὅσα δὲ ὡς τοῦ λόγου καὶ τῆς οὐσίας τῆς κατὰ τὸν λόγον, πρότερα ἢ πάντα ἢ ἔνια. ἐπεὶ δὲ ἡ τῶν ζώων ψυχὴ ἡ κατὰ τὸν λόγον οὐσία καὶ τὸ εἶδος καὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιούτῳ σώματι, ἑκάςου γοῦν τὸ μέρος ἐὰν ὁρίζεται καλῶς, οὐκ ἄνευ τοῦ ἔργου ὁριεῖται.* Haec si sequimur et ea, quae supra (p. 11 sq.) exposita sunt, in auxilium vocamus, via, qua Aristoteles ad notionem plurium animae facultatum deductus esse videtur, per singula quasi stadia ita breviter insigniri poterit: *Distinguas animam a corpore, complectaris varias phaenomenorum psychicorum classes sub notionibus his classibus respondentibus, determines τὸ τί ἦν εἶναι animae per has notiones tanquam notas, transferas τῆς αἰτίας et τῆς ἀρχῆς notiones ab anima ad has notas, per quas eius qualitas determinata est, et habebis vires animae activas ipsis phaenomenis priores, quae cum per se et segregatae a corpore non agant, denique commutantur in facultates i. e. in vires, quae agere possunt.* Cum his consentiunt, quae de anim. II. c. 3., postquam monuit, non omnibus animalibus omnes competere animae facultates, profert: *δῆλον οὖν ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπον εἷς ἂν εἴη λόγος ψυχῆς τε καὶ σχήματος· οὔτε γὰρ ἐκεῖ σχῆμα παρὰ τὸ τρίγωνόν ἐςι καὶ τὰ ἐφεξῆς, οὔτε ἐνταῦθα ψυχὴ παρὰ τὰς εἰρημένας. γίνοιτο δ' ἂν καὶ ἐπὶ τῶν σχημάτων λόγος κοινὸς, ὃς ἐφαρμόσει μὲν πᾶσιν, ἴδιος δὲ οὐδενὸς ἔςαι σχήματος. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ψυχαῖς. διὸ γελοῖον ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον καὶ ἐπὶ τούτων καὶ ἐφ' ἑτέρων· ὃς οὐδενός ἐςι τῶν ὄντων ἴδιος λόγος.* Hoc igitur monet Aristoteles, istam universalem notionem animae (*λόγον κοινότατον*) non sufficere, sed, licet non inutilem, determinandam tamen esse per eas notas, per quas huius vel illius animalis vitam insignitam esse experiamur. Sed ita Aristoteles a theoria ad experientiam ablegat lectorem et prorsus carere potuit *τῶν δυνάμεων τῆς ψυχῆς* notione, quam omnino non adhibiturus fuisset, si mutationis animadversioni se subtrahere potuisset. Qua de re illa *δυνάμεως* notione ne hic quidem abstinet; statim enim addit tanquam regulam universalem: *ἀεὶ ἐν τῷ ἐφεξῆς ὑπάρχει δυνάμει τὸ πρότερον, ἐπί τε τῶν σχημάτων καὶ τῶν ἐμψύ-*

χων· οἷον ἐν τετραγώνῳ μὲν τρίγωνον, ἐν αἰσθητικῷ δὲ τὸ θρεπτικόν *). Quod secuti si phaenomena psychica consideramus tanquam seriem, per ea quasi membra et momenta, quae per notiones *τοῦ θρεπτικοῦ, αἰσθητικοῦ* etc. indicata sunt, se evolventem, relabimur in illam ambiguitatem supra indicatam, ut intermedia huius progressionis membra relata ad antecedentia pro actu, ad sequentia pro mera potentia habenda sint; si vero huius progressionis membra, quorum *genera* Aristoteles experientia duce per *θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν* etc. significat, cogitamus tanquam notas, per quas, *quid sit* anima, cognoscamus, universae Aristotelis descriptioni nihil inest, nisi hoc: opponendum quidem esse corpori tanquam *ὕλῃ ψυχὴν*, quae sit huius corporis *εἶδος* et *τὸ τί ἦν εἶναι*, hanc autem corporis qualitatem individuam, vitae et animalis et psychicae causam et principium, ex iis qualitatibus esse componendam, quas empirica phaenomenorum, ad notiones universales sentiendi etc. reductorum, observatio suppeditat. Ita, cum Aristoteles non tam *tribuat* facultates animae, sed animam ipsam harum facultatum complexionem *esse* dicat, viam stravit iis, qui diversorum in una eademque re, itaque etiam in anima phaenomenorum originem et rationem ita explicari posse putant, ut, nisi ad scholasticorum qualitates occultas, ex Aristotelis *εἴδει* et *ἐντελεχείᾳ* procreatas redire velint, eam diversitatem isti uni rei *inesse* simpliciter asseverent. Quod vero praeterea etiam *ὕλης* et *εἴδους, δυνάμει ὄντος* et *ἐντελεχείᾳ ὄντος* assumunt notiones et istam complexionem se per varios progressus evolvere dicunt, id inde repetendum est, quod istam complexionem nullibi magis, quam in nobis ipsis, mutationi obnoxiam esse observamus. Ita autem statuens Aristoteles quidem ea disquisitionis incitamenta, quae in his ipsis notionibus rei per varias qualitates tanquam suas cogitandae et rei mutatae insunt, et quae etiam Aristotelis placitis tacite subsunt, ita abscondidit, ut per multa saecula metaphysicam et psychologiam, eius exemplum secutam, magis in verbis fingendis, quam in notionibus corrigendis occupatam conspiciamus.

Sed haec uberius persequi non est huius loci. Scribendi officio, muneris ratione mihi imposito, ita satisfacere studui, ut Vobis, Commilitones humanissimi, aliquam cogitandi materiem suppeditarem. Neque iis, quae dixi,

---

*) Opposita regula: *ἐν τῷ προτέρῳ ὑπάρχει δυνάμει τὸ ἐφεξῆς, δυνάμεως* et *ἐνεργείας* relationi si non magis, at aeque accommodata, hoc loco ideo non proponi poterat ab Aristotele, quoniam non omnia animalia ad omnes vitae stationes pervenire experientia vel docet vel indicat.

Aristotelis honori aliquid detractum esse existimetis; neque enim quae eum, qui ad quaestiones philosophicas accedit, decet animi libertas, ita iubet veterum sententias coeca admiratione suspicere, ut veritatis investigandae laborem ab iis nobis praereptum esse putemus, neque historiae systematum philosophicorum is usus et ultimus finis est, ut quid alii docuerint, memoria teneamus, sed ut ex iis indagandi et quaerendi incitamenta repetamus. Restat id, quod mei muneris est, ut Vos, viri doctissimi, qui studiis feliciter peractis ad summos in philosophia honores adspiratis, ad examina solemnia subeunda invitem. Itaque rogo, ut, quorum interest hac uti opportunitate, ante diem XXIII. m. Ianuarii anni proximi nomina profiteantur literasque ad me dent, quibus admissio ad examina ab ordine nostro petenda est, adiectis simul inscriptionibus, quae dicuntur, et morum ac studiorum testimoniis brevibusque vitarum erarrationibus. Deinde cum solemnis in ordinis conventu petitio dicto die rite peracta fuerit, eiusdem mensis die XXV. et quidem horis matutinis scribendo, pomeridianis ad propositas quaestiones respondendo, quantum in literis profeceritis, docebitis. Ceterum et collegarum amplissimorum et meam voluntatem persuasum habeatis vestris rebus non esse defuturam.

P. P. in Acad. Lipsiensi dom. I. Adv. I. C. a. MDCCCXL.